

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Frankofurti ad Moenum, 1682**

Dominica II. adventus

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

# Dominica II. Adventus.

*Evangelium Luc. 21. d' vers. 25. ad 36.*

## EXORDIUM.

**C**UM DEUS ter Opt. Max. Prophetam Jeremiam ministerio sacro destinasset, monstravit ipsi in peculiari visione materiam, de qua concionari deberet, ostensis ipsi *virgâ vigilante, & olla fervente*, Jerem. 1. v. 11. seqq.

Hæc adhuc hodie norma est, ad quam omnes fideles ecclesiæ Ministri conciones suas accommodare debent: Duo hîc Prophetæ ostenduntur:

I. *Vigilans virga*, quâ indicatur verbum Dei beatificum, quod verus baculus & virga est, cui in omnibus calamitatibus firmiter inniti possumus, Pl. 23. v. 4. vocaturque hîc *virga vigilans*, quia excitat nos, ut semper *vigilemus & oremus*, sicut Christus in prælecto Evangelio monet: considerantes, quod Dominus *virgâ iræ* non modò castiget, & iniquitates patrum visitet in tertiam & quartam generationem, Exod. 20. v. 5. sed & diem statuerit, in quo judicaturus est orbem in justitia, Act. 17. v. 31. qui subitò adveniet, sicut fur in nocte, 2. Petr. 3. vers. 20. 1. Theil. 5. v. 3.

2. *Fervens olla*. Hæc imago est, extremi judicii. Velut enim olladii quidem igni adhsit, non verò redundat, nisi ebulliat: sic nos homines ollis similes sumus, *Quævis* nobis, peccatis nostris iram, in die iræ, & revelationis justii judicii Dei, Rom. 2. vers. 5. quando verò mensura repleta erit, olla effundetur, venietque justissimus Deus ignis æmulatione, quæ consummatura est adversarios, Hebr. 10. v. 28. quod

præcipuè die novissimo plenè consummabitur, 2. Theil. 1. v. 8. Apoc. 6. v. 16. ubi justus vix salvabitur: multò minus impius & peccator. 1. Petr. 4. v. 18.

Utrumque Ecclesiæ ministris fideliter inculcatum est, ut in omnibus concionibus suis probè observent: certissimum siquidem est, quòd qui susque deq; habeant *virgam Christi vigilantem*: illi *ollam ardentem* senturi sint in æternum in inferno, Jer. 1. v. 13.

Occasionem hac de re agendi, subministrat nobis prælectum Evangelium, ubi Dominus ostensâ *virgâ vigilante* unumquemque commonefacit, ut probè sibi prospiciat & caveat, ne ex improvîso à die extremo invadatur, & in *ollam ardentem* ignis infernalis præcipitetur, ex quo nulla unquam speranda est redemptio. Nos absque ulteriori præloquio ad ipsum Evangelium nos conferemus, meditaturi ex eodem:

- I. Ἀπολογία, sive *notitiam nostri*.
- II. Χρησθησίων, sive *notitiam Christi*.

J. J.

## Exegetis.

Præclarus ille Hipponensium Episcopus Augustinus, de signis extremi diei verba factururus, concionem suam hisce verbis inchoat: *Audite & timete, Christus est, qui loquitur*. Quod ipsum nos hac vice ingeminantes, dicimus: *Audite & timete, Christus est, qui loquitur*. Tria enim hîc proponit nobis, ex quibus *notitiam nostri* discere possumus, quando videlicet perpendimus:

B

I. Signa-

## I. Signorum Catalogum

## 1. In mundo corporali &amp; visibili.

1. *Quoad cœlestia.* Erunt enim signa in sole, & luna, & stellis. Est hoc intelligendum de terribilibus corporum horum Eclipsibus, quæ sub finem mundi, proximè ante diem novissimum in magna frequentia apparebunt, sicut olim in Ægypto tanta eclipsis facta, ut alter alterum non viderit, Exod. 10. v. 22. 23.

Huc pertinent quoque chasmata, quæ in aère quandoque apparent, horrenda tonitrua, inconfucta fulgura, vehementes nimbi, quorum multam frequentiam hactenus experti sumus. Hæc proximè diem novissimum præcedent, & mundo finem imponent. Veluti enim tunc, cum Deus legem promulgabat in monte Sinai, coeperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorq; buccinæ vehementius perstrepebat, eratq; totus mons terribilis, Exod. 19, 16. 18. Sic etiam die ultimo, cum Dominus iudicium executurus, & unicuiq; juxta facta sua redditurus est, intonabunt poli, cœlorumq; ingruet horror. Cœli enim procellæ in moerem transibunt. 2. Petr. 3. v. 10.

In primis hoc observandum est, quod Christus virtutes cœlorum motum iri, auferit. Multi enim in ea persuasionem sunt, cœlum ipsum inclinasse, & de loco suo se movisse, sicut Philippus Melancthon scribit: *Hoc tempore Sol proprius est terris, quam fuit Hipparchi, & Ptolomai temporibus, miliarium Germanicorum ferme decem millibus, quæ res profecto admiratione digna est.* Et Alstedius in Encyclopædia calculum adjicit hisce verbis: *Constat cœlum passum esse aliquam loci mutationem: comprobaturq; testimonio præcipuorū*

Astronomorum, qui de materia hac scripserunt.

Quicquid sit, hoc sanè certum est, influentias corporum cœlestium in inferiora hæc non æquè validas esse, ac olim fuerunt. Respicite modò dilecti! quàm vivaces, quàm robusti majores nostri, Veteres Germani fuerint, jam omnia in deterius pergunt, vires cum ætate decreverunt, ut vix quempiam reperias, qui sine Cephalea & canis, annum quinquagesimum attingat.

Terra quoque ipsa sterilior videtur: agri, horti, vineæ & prata non adeò fecunda & fertilia sunt, ut olim: Sol infirmiore lumine collustrat terras, commoda temperies deficit, & ut breviter complectar, omnia fini appropierant, quia & ipsa creatura congemiscit, & liberari gestit à servitute corruptionis. Rom. 8. v. 21.

2. *Quoad terrestria.* In terris enim erit anxietas gentium, per dubitationem, sonitus maris & fluctuum: arescentibus hominibus, præ timore & expectatione eorum, quæ supervenient universo orbi.

Hic duo consideranda:

1. *Aquarum inundatio.* Mare enim & alii fluvii fluctuabunt, sepimenta percurrunt, & regiones cum hominibus inundabunt, ut jam sæpius factum est.

2. *Hominum vexatio,* quæ exterius & interius afficientur. *De interiori* ait Christus: erit *σωτηριαν εἰς θανάτου*. Ubi *σωτηριαν* consilii inopiam significat, & de tantis angustiis usurpatur, quibus quomodo extrices te, haud scias. In hanc *σωτηριαν* incident homines, semel *ratione doctrina*, ob hæreses & schismata, quæ multifariam abundabunt, dicturi: ecce hic Christus, aut illic, Matth. cap.

cap. 24. v. 23. Ubi præ animi dubitatione nescient, quid credere debeant.

Deinde *ratione pervertevita*, ob peccata nefanda, quæ sine ullo propudio palam patrabuntur, nec punientur, abundabit enim iniquitas, Matth. 24. v. 12. Nec inveniatur fides in terra Luc. 18. v. 9.

De *exteriori angustia* intelligendum, quod Christus ait: arescent homines, præ timore & expectatione eorum, quæ superveniat universo orbi. Vide Marc. 13. v. 7. 8. Matth. 24. v. 21. Væ habitatoribus terræ, Apoc. 12. v. 12.

2. In mundo *spirituali & invisibili*, h. e. in ecclesia, ubi Christus sol justitiæ, Mal. 4. vers. 2. magnas obscuraciones & eclipses patitur ab hæreticis & schismaticis, qui lucernam sub modio ponunt, Matth. 5. v. 15 ut manutentent homines, sicut cæci, 2. Pet. 1. v. 9. & tandem ambo in foveam cadant, Luc. 6. v. 39.

*Luna significat Ecclesiam*; sicut enim Luna à sole irradiatur: sic etiam ecclesia lumen suum non à seipso habet, sed à Christo, qui sol est justitiæ, & vera lux, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum. Joh. 1. v. 9.

*Stella significant præcipuos Doctores*, solem & lunam circumstantes, & cælum ornantes, Sir. 43. v. 9. hi de cælo cadent, h. e. Evangelium abnegabunt, & à Draconis caudâ trahentur, Apoc. 12. v. 4. ut terrenis inhiant, quia ventrem Deum constituerunt, Phil. 3. v. 19.

*Spiritualiter* quoque explicari potest, quod Christus de virtutibus cælorum, vehementiâ ventorum, inundatione aquarum, & anxietate hominum memorat. *Virtutes cælorum* sunt sancti Angeli, hi commovebunt se, h. e. ad iudicium se ac-

cingent, ut cum Christo descendant, & congregent electos, à quatuor ventis. Matt. 24. vers. 32.

*Venti & aqua* significant tyrannos, qui ante diem novissimum summâ cum violentiâ grassabuntur, ad persequendum pios, hinc maximi tumultus orientur, & in magnas anxietates conjecti homines suspirabunt: O Deus, in quæ tempora nos reservasti, Hæc ita signa sunt, diem ultimum præcessura.

*Hic scrutare te, mi Christiane, utrum hæc signa oborta, ad animum revocaveris, & occasione illorum novissimi dici recordatus fueris?*

Nullus dubito, quin rarissimè factum. Pleriq; enim nostrum ultra pedes vix prospicimus. Quando

-----  
*Horrisco tonitru cælum omne remugit,  
 Grandinû & crebrâ cellas crepitante procellâ  
 Pulsa sonat, ruptug, micant è nubibus ignes:  
 Flammiferaq; volant magnum per inane sagittæ,  
 Fulguraque ingeminant.*

Buch. Pl. 18. v. 36.

Tum quidem expavescimus, tum inter Scyllam & Charybdim quasi navigamus: æst, cessante tempestate, omnis simul metus evanescit. Est enim cor hominis dolosum & ærumnosum super omnia, Jerem. 17. v. 9.

Hæc securitas eliminanda nobis est, & quando videmus signa ejusmodi in cælo, terrâ, mari, & nobismetipsis fieri ad penitentiam nos exstimulare debent, ut cogitemus: Concio hæc realis est de die novissimo, ideò penitentiam agemus, Dominus enim mox adventurus est, mundoq; sinem impositurus.

*Sodomitis* ridiculum videbatur, cum Lothus ipsis exitium annunciarer, & de civitate eorum egrederetur, sed vix egresso, Dominus pluebat sulphur & ignem

à Domino de cælo, & subvertebat civitates has. Gen. 19. v. 25.

Sic haud pauci inveniuntur hodie, qui nauci æstimant, quando eclipses aut alia *Phænomena* in cælo, aere aut terra apparent. Sed Deus non irridetur, Gal. 6. v. 7.

Cum *Holofernes* in Campis Damasci succenderet omnia fata, omnesque arbores & vineas faceret incidi: cecidit timor illius super omnes inhabitantes terram. Cogitabant enim, quod si ad eum crudeliter cum frumento agit, quod nihil peccavit, quid nobis fiet? qui mandatum Regis despeximus. Judith 2. v. 17. 18. Sic & nos cogitare debemus: Si Deus tantam mutationem creaturarum irrationalium agit: quid nobis faciet, qui creatorem ipsum creaturarum peccatis nostris ad iram provocavimus & offendimus. Ah Christiani! vigilate & orate, ecce enim dies veniet succensa, quasi caminus: & erunt omnes contemtores, & omnes facientes impietatem stipulæ: & inflammabit eos dies veniens. Malach. 4. vers. 1.

II. *Extremum iudicium*, de quo speciatim in Evangelio prælecto agitur, sic enim Christus: Tunc videbunt filium hominis, venientem in nube, cum potestate magna, & maiestate. Quæ brevis descriptio est, adventus Christi ad iudicium. Veniet enim, ut filius hominis, sed non tam pauper & despectus, sicut Hierosolymorum urbem ingressus est, asinam mutuata, Matth. cap. 21. vers. 7. sed in nubibus vehet, veluti curru, Psal. 104. v. 3. maiestatem suam præclare manifestaturus, omnibus piis propterea exultantibus, & dicentibus: Domine Deus noster, quam admirabile est nomen tuum, in universa terra. Psal. 8. v. 2.

*Hic velim inspicias & probes te, mi Christiane! utrum ex animo iudicium futurum credas, sicut Moses & Propheta, Christus & Apostoli prædixerunt?*

Omni enim tempore irrisorum haud pauci fuerunt, & adhuc hodie existunt, qui hanc doctrinam ludibrio habent, non verentes dicere: Diu hæctenus de die ultimo dictum est, Christus, Matth. 24. v. 22. Paulus, Act. 17. 31. Johannes, 1. Joh. 2. v. 18. de eo verba fecerunt, interea ultra mille sexcenti anni præterfluxerunt, cum tamen omnia in pristina forma persistant, vanum ergo est, & mera fulgura ex pelvi, quæ toties hac de re ingeminantur.

Hiscæ & similibus verbis, gravissimus hic fidei articulus ab irrisoribus his, arroditur & extenuatur.

Horum antesignanus fuit *Cain*, de quo expressè Targum Hierosolymitanum memorat, quod dixerit: *Non est seculum aliud, nec merces bona pro iustis, nec pœna pro impiis.*

Quamvis autem inter Christianos non ad eum multi inveniuntur, qui verbis idem negent, licet non omnino desint: plurimi tamen offerunt sese, qui securi in diem vivunt, haud secus, ac si percussissent pactum, Esa. 28. v. 15. quo ipso se cœu forices produnt, se non ex animo iudicium credere. Et quia non proferitur citò contra malos sententia, absque timore ullo, filii hominum perpetrant mala, Eccles. 8. v. 11.

Piis Christianis nihil commercii sit, cum illusoribus hisce, sed lumbis præcinctis, & lucernis ardentibus expectent Dominum suum,

suam, Luc. 12. v. 36. qui veniens veniet, & non tardabit, Hab. 2. v. 3.

Prædixit hoc, in primo mundo Enochus, septimus ab Adam, Jud. ep. vers. 14. 15. David, Psalm. 9. v. 8. 9. Salomo, Eccl. 12. v. 1.

Idem à Prophetis quoque sedulo inculcatum est. Vide Esa. 66. v. 15. Jer. 23. v. 19. 20. Ezech. 34. v. 17. Daniel. 7. v. 9. 10. Joël. 2. v. 31. Amos. 5. v. 18. 20. Zeph. 1. v. 14. 16. 18. Zach. 12. v. 10. Mal. 4. v. 5. Longius foret, singula dicta enarrare.

In Novo Test. luculenter idem propositum est, tum ab ipso Christo, tum ab ejus Apostolis, ut ex multis allegatis notissimum est.

Sicut igitur verax DEUS est in verbo suo, Rom. 3. v. 4. nec mentiri potest, Tit. 1. v. 2. sic etiam hac in parte impleturus est, & quod fidelibus promissit, & quod impiis minatus est. *In omnibus Deum fidelem invenimus, ergo in ultimo non deficiet*, ait Augustinus. *Si Deus est, non mentitur, si mentitur, Deus non est*, ait Plato. Væ illis, quibus durum erit adversus stimulum calcitrare. Act. 9. v. 5.

III. *Mundi ingenium*, qui genio & crapula indulget, nec minus terrenorum curâ æstuat, quo ipso corda gravantur, ut ea atollere, & Christum expectare non possit. Ideò fideliter Christus nos dehortatur, inquit: Cavete, ne corda vestra graventur &c.

*Hic quislibet scrutetur sese, utrum etiam hac in parte modum quandoq; excesserit?*

Quid vulgarius est, quam luxuria? Esa. cap. 5. v. 11. Quid frequentius, quam avaritia, & terrenorum desiderium? Sive raptum, sive captum, modò sit aptum, vulgare dicitur sonat. Sap. 15. v. 12. Utrumq; vitium est turpissimum. Et ut primò

de luxuria dicamus, haud præterit nos, quod Paulus ait: in vino est *ἀσωτία*, Eph. 5. v. 18. h. c. omnis generis peccata & flagitia, quod per ebrium Noah præfiguratum est, qui vino temulentus, nudus in tentorio jacuit, Gen. 9. v. 21. Sic ebrii plerumq; omnem verecundiam exuerunt, ut nullo rubore suffundantur. Hinc ait Chrysostomus: *Quisquis sub temulentia toros dies agit, sub Diaboli tyrannidem redactus est.* Hic ipsos de iniquitate ad iniquitatem trahit, Rom. 6. v. 19. donec præcipitet in stagnum, ardentem sulphure & igne, Apoc. 21. v. 8. Ebrii enim regnum Dei non possidebunt, 1. Cor. 6. v. 10. Idem de avaritia dicendum, 1. Tim. 6. v. 19.

Veri Christiani abstineant his vitiis. Quid enim prodesset homini, Matt. 16. 26.

Servator noster Optimus, fidele nobis consilium suppeditat, ut vigilemus, omni tempore orantes, ut digni habeamur, fugere omnia ista, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Hoc nec ebrii, nec avari præstabunt. Ebrii enim mentis suæ compotes non sunt, quæ possent orare? & licet orent, tamen frustra orant, quia devotione carent. *Oratio enim sine devotione, est mugitus boûm*, inquit Isidorus, imò peccatum. Rom. 14. v. 23.

Avarus quoque non tantum temporis infumit, ut cor ad Deum eleve. *Per diem vexatur laboribus, per noctem agitur timoribus, ut sacculus impleatur nummis, anima febricitat curis*, ait Augustinus. Sic preces impediuntur, ut non modò rarius, sed & sine devotione fiant. Ubi enim thesaurus vester, ibi & cor vestrum, ait Servator, Matth. 6. v. 21. Quia igitur homines hi thesaurum, ut

& cor suum in terra habent, iccirco nec rectè orare queunt. Si enim preces Deo gratæ esse debent, corda cum manibus ad Dominum in cælos levanda sunt, Thren.

3. v. 41.

Quibuscunque itaque animæ salus curæ est, semper sunt temperantes & sobrii ad orationes, 1. Petr. 4. v. 8. Quærentes ante omnia regnum Dei, Matth. 6. v. 33.

### De Secundo,

Accedemus nunc ad alteram partem, *ἡ δεύτερη πρὸς τὸν Θεόν*, sive *notitiam Domini nostri Jesu Christi* contemplaturi. Hic proponitur nobis in Evangelio hoc:

1. *Tanquam judex mundi indubitabilis.* Qui conlummatis omnibus signis, die ultimo veniet in nube, cum potestate magna, & majestate.

*Munus* quidem *judicarium* in scriptura, omnibus tribus personis adscribitur, *Deo Patri*, tanquam antiquo dierum, qui se ad judicium paravit, Dan. 7. v. 9. *Filio Dei*, per quem statuit Deus judicare orbem in justitia, Act. 17. v. 31. *Spiritus Sancto*, qui est spiritus judicii & ardoris, Esa. 4. v. 4. idè Christus de eo dicit, quod in mundo hoc arguat mundum de peccato, Joh. 16. v. 8. Quod si itaque hic mundum arguit, & judicat, multò minus illic excludi se patietur, sed inveniet eos, qui ei restiterunt, Act. 7. v. 15. ejusque regimen excusserunt, Gen. 6. v. 3.

Sed quod *actum visibilem* concernit, hunc Christus exercebit, *tanquam filius hominis*. Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio suo, Joh. 5. v. 22. Et potestatem dedit ei judicium facere: quare? quia filius hominis est. v. 27. Deus enim in essentia sua spiritus est, quem nemo vidit unquam, Joh. 1. v. 18.

inhabitat enim lucem inaccessibilem, 1. Tim. 6. v. 16.

Atqui judicium visibiliter exercendum est, omnes enim tribus terræ videbunt eum venientem, Matth. 24. v. 30. Propterea S. S. Trinitas Christo judicandi partes commisit, qui caro nostra facta est, Joh. 1. v. 14. & veniet specie visibili, sicut ivit in cælum, Act. 1. v. 11.

Notent hoc

1. *Pii in consolationem.* Quia enim Christus judicis partes obiturus est die novissimo, qui frater eorum est, nihil habent, quod pertimescant, sed potius latari debent, quod liberationis tempus magis magisque acceleret.

O quanto electi afficientur gaudio! quando Servatorem suum, tanquam hominis filium conspicient ad judicium venientem. O quàm blande ipsos affabitur! quàm amicè complectetur.

In hoc mundo continuò suspiramus: Veni Domine Jesu, Apoc. 22. v. 21. sed quando tempus instabit, quo Jesus noster adveniet, voti que nos compotes faciet, tum exultabimus lætitiâ inenarrabili & gloriosâ. 1. Petr. 1. v. 8.

2. *Impii in emendationem.* Videbunt enim illi, in quem transfixerunt, Joh. 19. v. 37. Cùm Judæi Christum in horto montis Oliveti quærerent, obviam illis processit, inquires: Ego sum, quò auditò, sic perculsi sunt, ut abierint retrorsum, & ceciderint in terram, Joh. 18. v. 5. Quid die novissimo fiet, cum Christus impiis dicturus est? Ego sum, quem linguis vestris pupugistis, cujusque nomen sanctissimū in abusum traxistis. Ego sum, quem persequuti estis. Ego sum, quem crucifixum occidistis, jam propterea venio, ut vindictam

exer-

exerceam, 2. Theff. 1. v. 8. & dolores divi-  
dam furoris mei, Job. 21. v. 17. Procul dubio  
vehementer tunc percellentur, dicentes  
montibus, & petris: Cadite super nos, &  
abfcondite nos à facie fedentis super thro-  
num. Apoc. 6. v. 16. 17.

II. *Tanquam liberator piorum desidera-  
bilis.* Sic enim Christus: His autem fieri in-  
cipientibus, respicite, & levate capita vestra:  
quoniam appropinquat redemptio vestra.

*In hoc mundo* homo quasi in cœco car-  
cere conclusus est; cibatur pane lacryma-  
rum Ps. 80. 6. exemplo Michæ, 1. Reg. 22. 27.

*Sed dies novissimus erit dies liberationis,*  
ubi liberabit nos Dominus ab omni opere  
malo, & salvos faciet in regnum suum cœ-  
leste, 2. Tim. 4. v. 18.

*In hoc mundo* multis calamitatibus sub-  
jecti sumus, ubi pœnæ militant in nos, Job.  
10. v. 17. & abyssus abyssum in vocat, Ps. 42.  
vers. 8.

*Sed dies novissimus erit dies refectio-  
nis,* ubi Deus absterget omnem lacrymam ab  
oculis nostris, Apoc. 7. v. 17. Ps. 126. v. 5.

*In hoc mundo* ex una ætate in aliam trans-  
imus, & singulis diebus, horis & momen-  
tis magis appropinquamus se pulchro: Dies  
annorum nostrorum labor & dolor, Psal.  
90. v. 10. Præprimis senectus lerna est ma-  
lorum, & morborum, qui tamdiu nos arro-  
dunt, & affligunt, donec nos prosternant.  
Sir. 40. v. 2.

*Sed dies novissimus, erit dies renovatio-  
nis,* quam Christus indigitat, quando no-  
bis ficum aliasque arbores proponit, ex  
quibus, quando gemmas producant, scire  
possimus, quod prope sit æstas. Sicut itaque  
facies terræ renovatur, Psal. 104. v. 30. sic

etiam justi in vita æterna floreant, ut pal-  
mæ, Psal. 92. v. 15.

*In hoc mundo* amicissimi quique sæpe di-  
velluntur. Aut enim liberi à parentibus, ut  
Tobias junior, Tob. 14. v. 4. aut parentes à  
liberis, uti vidua in Nain, Luc. 7. v. 13. aut  
maritus ab uxore, uti Jacob, Gen. 35. v. 20.  
aut uxor à marito, uti Judith c. 8. v. 3. ab-  
trahuntur, oculisque madentibus se invi-  
cem ad sepulchrum insequuntur. Valet  
enim hîc illud Siracidis: Hodie mihi, cras  
tibi, Sir. 38. v. 23.

*Sed dies novissimus erit dies restitutionis  
omnium,* Act. 3. v. 20, Matth. 19. v. 29.

In horum consideratione non perti-  
mescamus diem extremum, sed attolentes  
capita nostra, lætabundi expectemus red-  
emptorem nostrum, qui transfigurabit cor-  
pus humilitatis nostræ, Phil. 3. v. 21. ibi dies  
luctus nostri complebuntur, Esa. 60. v. 20.  
& verâ vitâ perfruemur, Sir. 48. v. 12. cum  
tantâ gloriâ & lætitiâ, quam oculus non vi-  
dit, 1. Cor. 2. v. 9. Expectemus proinde hunc  
diem cum desiderio, cū ecclesia precantes:

O Christe Jesu longius,  
Differ diem supremum,  
Cor anxium mortalibus  
Doloribusque plenum:  
O summe judex mox veni,  
Cum gratia nos expedi,  
Ex omnibus periculis.

O Jesu Christ du machst es lang/  
Mit deinem jüngsten Tage/  
Den Menschẽ wird auf Erden bang/  
Von wegen vieler Plage/  
Komm doch/ komm doch/ du Richter groß/  
Und mach uns in der Gnaden loß/  
Von allem Ubel/ Amen.

III. *Tanquã verbi sui confirmator venera-  
bilis,*



*bilis.* Inquit enim Christus: Cœlum & terram transibunt, verba autem mea non transibunt.

Cœlum in scripturis sic describitur, quod sit *επιωρα* firmamentum, Gen. 1. v. 6. solidissimum, quasi ære fufum, Hiob. 37. v. 18. Terra quoque fundata est, super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi, Pl. 104. v. 5. Nihilominus Christus de utroque ait: *παρελεύσεται*, transibunt, & quidem ita, ut vel minimum vestigium non appareat, sicut hæc vocula usurpatur de flore, Jac. 1. v. 10. tempore, Matth. 14. v. 15.

Sed de verbis suis ait, non transibunt: verum quæcunque in iis piis promisit, impiis verò minatus est, omnia implebantur, ad minimum jota, aut apicem, Matth. 5, 18.

Inserviant hæc

*Consolationi nostræ.* Hominum promissiones sæpe fallunt, exemplo Labani, qui Jacobo multa pollicitabatur, sed postea immutabat mercedem ejus decem vicibus, Gen. 31. v. 41.

Id in Christo metuendum minimè est. Citius enim montes & colles loco movebuntur, Esa. 54. v. 10. quàm unum verbum præterierit incassum, Jos. 23. v. 15. Unde vocatur verbum vitæ, Joh. 6. v. 68. non modò idè, quia is locutus est illud, qui verus Deus est, & vita æterna, 1. Joh. 5. v. 20. sed etiam quia ad immortalitatem nos promovet, Joh. 8. v. 51. nec ullius homi-

nis violentiâ infringi potest, Vide Esa. 40. v. 7. 8.

Quid non tentarunt primi ethnici Imperatores? Quid non Pontificii nostro seculo, ut verbum DEI supprimerent? Sed frustrâ. Adhuc immortum stat verbum Christi: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Verbum perennat firmiter,

Ingratiis ipsorum:

Adstitit ipse jugiter,

Cum gratia donorum.

Si corpus occidunt,

Et omnia rapiunt.

Dimitte tu lætus,

Est quæstus hic nullus,


Regni Dei qui certus.

Das Wort sie sollen lassen stahn/  
Und kein Dancß darzu haben:

Er ist bey uns wol auff dem Plan/  
Mit seinem Geist und Gab. n.

Nehmen sie uns den Leib/  
Gut Ehr, Kind und Weib/  
Lass fahren dahin/  
Sie habens kein Gewinn/  
Das Reich muß uns doch bleiben.

Regnum videlicet gloriæ æternæ, quod Deus nobis omnibus ex gratia largiri dignetur, per & propter Christum, Dominum & Servatorem nostrum, Amen.



## Dominica III. Adventus.

*Evangelium, Matth 11. v. 2. --- 10.*

EXORDIUM.

**C**Um miraculosus ille Propheeta Elias, vivus in cœlum assumptus esset, filii Prophetarum in Hiericho, non parùm idè solliciti fuerunt, propterea acceperunt Elisam, dicentes: Ecce, cum servis tuis sunt quinquaginta fortes viri,